

# MISSÆ PROPRIÆ ECCLESIÆ CATHEDRALIS ET DIOECSEOS HILDESIENSIS

Die 22 Ianuarii

**S. EPIPHANII**

Episcopi et Confessoris

Patroni minus principalis Ecclesiæ  
Cathedralis et Dioeceseos

III classis

Missa Státuit, de Communi Confessoris  
Pontificis 1 loco.

Et fit Commempratio Ss. Vincentii et  
Anastasii Martyrum, ut in Proprio  
Sanctorum.

In Cathedrali dicitur Credo.

Die 3 Februarii

**S. ANSGARII**

Episcopi et Confessoris

III classis

Missa Státuit, de Communi Confessoris  
Pontificis 1 loco, præter Orationem  
sequentem:

Oratio

P

D<sup>e</sup>us, qui multitúdinem populórum  
beáti Ansgárii prædicatióne et mirá-  
culis evangélii luce dignátus es illustrá-  
re: concéde propítius; ut, cuius gloriámur  
exémplis et méritis, eius fulciámur et  
précibus. Per Dóminum nostrum Iesum  
Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit  
et regnat.

Et fit Commemoratio S. Blasii Ep. et  
Mart.:

Oratio

D<sup>e</sup>us, qui nos beáti Blásii Mártyris  
tui atque Pontíficis ánnua solem-  
nitáte lætíficas: concéde propítius; ut,  
cuius natalítia cólimus, eiúsdem étiam  
protectiōne gaudéámus. Per Dóminum.

Secreta

C

S<sup>ancti</sup> tui, quaésumus, Dómine, nos  
ubique lætificant: ut, dum eórum  
mérita recólimus, patrocinia sentiámus.  
Per Dóminum nostrum.

Pro S. Blasio

Secreta

M<sup>únera</sup> tibi, Dómine, dicáta sanc-  
tifíca: et, intercedénte beáto Blásio  
Mártyre tuo atque Pontifice, per éadem  
nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

C

P<sup>ræsta</sup>, quaésumus, omnípotens  
Deus: ut, de percéptis munéribus  
grátias exhibéntes, intercedénte beáto  
Ansgário Confessóre tuo atque Pontífice,  
beneficia potiéra sumámus. Per Dñm.

Pro S. Blasio

Postcommunio

H<sup>a</sup>ec nos commúnio, Dómine, purget  
crimine: et, intercedénte beáto  
Blásio Mártyre tuo atque Pontífice,  
cæléstis remédii fáciat esse consórtes.  
Per Dóminum nostrum.

Die 15 Martii  
**S. CLEMENTIS MARÆ HOFBAUER**  
 Confessoris  
 III classis

Missa Iustus ut palma, **de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio** **P**  
**D**eus, qui beátum Cleméntem Máríam miro fidei róbore et invictæ constántiæ virtúte decorásti: eius méritis et exémplis fac nos, quaésumus, ita fortes in fide et caritáte fervéntes; ut praémia consequámur ætérrna. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Com. Feriæ, iuxta Rubricas.**

**Secreta** **P**  
**I**lle nos, quaésumus, Dómine, devotio-  
nis ignis accéndat: quo beátus Cle-  
mens María, dum salutárem offérret  
hostiam, iúgiter flagrávit. Per Dóminum.

**Et fit Com. Feriæ, iuxta Rubricas.**

**Postcommunio** **P**  
**C**ælesti pane reféctis concéde nobis,  
Omnípotens Deus: ut beáti Clemén-  
tis exémplo, in fortitúdine cibi illius  
usque ad montem, qui Christus est,  
feliciter perveniámus: Qui tecum vivit.

**Et fit Commemoratio Feriæ, iuxta Ru-  
bricas, et legitur eius Evangelium in fine.**

Die 26 Martii

**S. LUDGERI**

Episcopi et Confessoris  
 III classis

**Introitus** **Eccli. 45, 30**

**S**tátuit ei Dóminus testaméntum pa-  
cis, et príncipem fecit eum: ut sit illi  
sacerdótii dígnitas in æternum. **Ps. 131,1**  
Memento, Dómine, David: et omnis  
mansuetúdinis eius. **¶. Glória Patri.**

**Oratio**

**D**eus, qui hodiérnam diem sacritís-  
simam nobis in beáti Ludgéri,  
Confessóris tui atque Pontíficis, sole-  
nitáte tribuísti: concéde propítius; ut, qui  
eius gaudémus méritis, provocémur  
exémplis, et eius intercessióne véniam et  
vitam mereámur ætérrnam. Per Dóminum  
nostrum.

**Et fit Commemoratio Feriæ, iuxta Ru-  
bricas.**

Léctio libri Sapiéntiæ

**Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20**

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est iustus: et in tempore iracúndiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo iureiurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput eius. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiā coram oculis Dómini Magnificávit eum in conspéctu regnum: et dedit illi corónam gloriæ. Státuit illi testaméntum ætérrnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habérere laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.  
**¶. Ibid., 20** Non est invéntus símilis illi qui conserváret legem Excélsi.

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis.

**¶.** Potens in terra erit semen eius generátio rectórum benedicétur. **¶.** Glória et divitiæ in domo eius: et iustitia eius manet in saéculum saéculi.

**Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:**

Allelúia, allelúia. **¶** Ps. 109, 4 Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Allelúia. **¶** Hic est sacerdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

**In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten Graduale ut supra, sed, omissa Tractu, dicitur:**

Allelúia, allelúia. **¶** Ps. 109,4 Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Allelúia.



Sequentia sancti Evangélii secundum Matthaeum

**Matth. 5, 13-19**

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et concutatur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accéndunt lucernam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sie luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorifcent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quóniam veni solvere legem aut prophétas: non veni solvere, sed adimplere. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis mínimis, et docuerit sie homines, míimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fécerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi

eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et bráchium meum confortabit eum.

### Secreta

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos subique lætificant: ut, dum eorum mérita recolimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio Feriæ, iuxta Rubricas.**

**Communio** **Luc. 12, 42** Fidélis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore triticis mensuram.

### Postcommunio

**P**ræsta, quaésumus, omnípotens Deus: Put, de percéptis munéribus grátias exhibentes, intercedente beato Ludgéro Confessore tuo atque Pontífice, beneficia potiora sumámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio Feriæ, iuxta Rubricas, et legitur eins Evangelium in fine.**

Die 21 Aprilis

**S. CONRADI A PARZHAM**

**Confessoris**

**III classis**

**Missæ** Os iusti, **de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

**D**eus, qui misericordiæ tuæ iánuam fidélibus patré voluisti: te supplices exorámus; ut, intercedente beato Conrado Confessore tuo, temporália subsídia nobis tríbuas et ætérrna. Per Dñm.

**Et fit Commemoratio S. Anselmi Ep. et Doct.:**

**Oratio**

**D**eus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Ansélmum ministrum tribuisti: praesta, quaesumus; ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum nostrum.

**Secreta**

**P**

**O**blationes nostras tibi, Domine, quaesumus, beati Conradi intercessio veneranda commendet: quem coram tuis altaribus precantem supernorum charismatum dulcedine recreasti. Per Dominum nostrum.

**Pro S. Anselmo**

**Secreta**

**S**ancti Ansélmi Pontificis tui atque Doctoris nobis, Domine, pia non desit oratio: quae et munera nostra conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum nostrum.

**Postcommunio**

**P**

**S**umpsimus, Domine, tua sancta, beati Conradi merita recolentes: praesta, quaesumus; ut eius semper et preclaro proficiamus exemplo et fideli muniamus auxilio. Per Dominum.

**Pro S. Anselmo**

**Postcommunio**

**U**t nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus Ansélmus Pontifex tuus et Doctor egregius, quaesumus. precator accedat. Per Dominum.

**Feria IV infra Hebdomadam IV post Octavam Paschæ**

**S. GODEHARDI**

**Episcopi et Confessoris  
Patroni minus principalis Ecclesiæ  
Cathedralis et Dioeceseos  
II classis**

**Missa** Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, ut in Communi Sanctorum, præter Orationem sequentem, et in Cathedrali dicitur Credo.

**Oratio**

**P**

**D**eus, qui nos beati Godehardi confessoris tui atque Pontificis méritis et intercessione lætificas: concede propitijs; ut, qui tua per eum beneficia póscoimus, dono tuæ gratiæ consequámur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Secreta**

**C**

**S**ancti tui, quaesumus, Domine, subique lætificant: ut, dum eorum mérita recolimus, patrocínia sentiámus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

**Postcommunio**

**C**

**P**raesta, quaesumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grárias exhibentes, intercedente beato Godehardo Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumámus. Per Dominum nostrum.

**¶ Solemnitas externa celebratur Dominicana V post Pascha. Una Missa, præter conventualem, dicitur de S. Godehardo, dummodo alicubi Festum nobilius non occurrat, cum omnibus Commemoratiibus ritui II classis congruentibus.**

**Die 27 Aprilis**

**S. PETRI CANISII**

**Confessoris et Ecclesiæ Doctoris  
II classis**

**Introitus**

**Eccli. 15, 5**

**I**n medio Ecclésiæ apéruit os eius: et implévit eum Dominus spiritu sapiétiæ et intelléctus: stolam gloriæ induit

eum, allelúia, allelúia. **Ps. 91, 2** Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altissime. **¶** Glória Patri.

### Oratio

**D**eus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut eius exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

**2 Tim. 4, 1-8**

**C**aríssime: Testíficor coram Deo, et Iesu Christo, qui iudicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum eius: praédica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, ícrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritaté quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim iam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna iustitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui díligunt advéntum eius.

Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 118, 46** Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Allelúia, **¶ 1 Cor. 9, 22** Omnia ómnibus factus sum, ut omnes fácerem salvos, Allelúia.

**In Missis votivis per annum dicitur**

**Graduale Ps. 118, 129-130** Mirabília testimónia tua, Dómine, ídeo scrutáta est ea ánima mea. **¶** Declarátio sermónum tuórum illúminat et intelléctum dat párvulis.

Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 108, 30** Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum. Allelúia.

**Post Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 118, 104, 105 et 158** A mandátis tuis intelléxi, propterea odívi omnem viam iniquitatis. **¶** Lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis. **¶** Vidi prævaricántes et tabescébam, quia elóquia tua non custodiérunt.



Sequéntia sancti Evangélii se-cún-dum Mattháeum

**Matth. 5, 13-19**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhil valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, míni-mus vocábitur in regno cælórum: qui

autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

**Offertorium Ps. 33, 12** Veníte, filii, audíte me: timórem Dómini docébo vos, allelúia.

### Secreta

**S**anctifica, misericors Deus, hæc múnnera tibi oblata, et Ecclésiæ tuæ, beato Petro intercedente, unitatis et pacis propítius dona concéde. Per Dóminum.

**Communio Is. 12, 3** Hauriéatis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, allelúia.

### Postcommunio

**S**acrificium, Dómine, quod in honórem beati Petri Confessoris tui atque Doctóris obtúlimus: fidem nostram, spem et caritatem áugeat, et Ecclésiam tuam nova semper prole lætíficet. Per Dóminum nostrum.

### Die 5 Maii

#### IN DEDICATIONE ECCLESIÆ CATHEDRALIS

##### I classis

Missa Terribilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ, ut in Communi Sanctorum. Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Pii V Papæ et Confessoris, ut in Proprio Sanctorum; ac dicitur Credo.

##### Die 12 Maii

#### PATROCINII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

##### III classis

Missa Salve, de Communi Festorum Beatæ Mariæ Virginis, præter Orationem sequentem.

### Oratio

**P**

**C**oncéde, quaésumus, omnípotens Deus: ut qui beatissimæ semper Vírginis Maríæ patrocínio lætamur: eius pia intercessióne et præsídio, ab omni culpæ labo liberémur in terris et gáudiis ætérnis pérfrui mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti Deus.

### Secreta

**C**

**T**ua, Dómine, propitiatióne et beatæ Maríæ semper Vírginis intercesióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperiátem et pacem. Per Dóminum nostrum.

**Præfatio de B. Maria Virg.** Et te in Festivitatē.

### Postcommunio

**C**

**S**umptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quaésumus, beatæ Maríæ semper Vírginis patrocínii nos ubique prótegi; in cuius veneratióne hæc tuæ obtúlimus maiestáti. Per Dóminum.

### Die 14 Maii

#### SS. PATRONORUM ECCLESIÆ CATHEDRALIS

##### I classis

Tempore Paschali Missa Sancti tui, de Communi Martyrum Tempore Paschali 2 loco, præter Orationem propriam ut infra. Extra Tempus Paschale Missa Intret, de Communi plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale 1 loco, præter Orationem propriam ut in Missa sequenti, et dicitur Credo.

### Introitus

**Ps. 144, 10-11**

**S**ancti tui, Dómine, benedíc te: Sglóriam regni tui dicent, allelúia, allelúia. **Ps. ibid., 1** Exaltábo te, Deus

meus, Rex: et benedícam nómini tuo in saéculum, et in saéculum saéculi. **¶**  
Glória Patri.

### Oratio P

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos subíque lætíficent: ut, dum eórum festa cólimus, patrocínia quoque sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Non fit Commemoratio S. Bonifatii Martyris.**

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli

**1 Petri 1, 3-7**

**B**enedictus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptibilem et incontaminátam et immarcescibilem, conservátam in cælis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contrastári in váriis tentatióibus: ut probátio vestræ fidei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem et glóriam et honórem, in revelatióne Iesu Christi, Dómini nostri.

Allelúa, allelúa. **¶** Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílum: et sicut odor bál-sami erunt ante te. Allelúa. **¶ Ps. 115, 15** Pretiósia in conspéctu Dómini, mors sanctórum eius. Allelúa.

**¶** Sequéntia sancti Evangélii secún-dum Ioánnem **Ioann. 15, 5-11**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit: mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et

cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint; quodcúmque voluératis, petétis, et fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferáti, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. **Credo.**

**Offertorium Ps. 31,11** Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti: et gloriámini, omnes recti corde, allelúia, allelúia.

### Secreta

**A**désto, Dómine, supplicatióibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut, qui nostræ iustiíæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adiuvémur. Per Dóminum nostrum.

**Communio Ps. 32, 1** Gaudéte, iusti, in Dómino, allelúia: rectos decet collaudá-tio, allelúia.

### Postcommunio

**Q**uaésumus, Dómine, salutáribus re-pléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratióibus adiuvémur. Per Dóminum nostrum.

Die 16 Iunii

**S. BENNONIS**

Episcopi et Confessoris  
III classis

**Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem:**

**Oratio P**

**D**eus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis et eius imitatióne proficere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

**Secreta C**

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos subíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio C**

**P**ræsta, quaésumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Bennóne Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potíora sumámus. Per Dóminum.

Die 4 Iulii

**S. UDALRICI**

Episcopi et Confessoris  
III classis

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem:

**Oratio P**

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis. contra ómnia advérsa muniámur. Per Dñm.

**Secreta C**

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine. nos subíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio C**

**P**ræsta, quaésumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Udalríco Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potíora sumámus. Per Dóminum.

Dominica 1 Septembris

**SOLEMNITAS EXTERNA****SS. ANGELORUM CUSTODUM**

Una Missa, praeter conventualem, dicitur de Ss. Angelis Custodibus, dummodo alicubi Festum I aut II classis non occurrat. Missa celebratur, ut die 2 Octobris in Proprio Sanctorum notatur, cum omnibus Commemorationibus ritui congruentibus.

Die 17 Septembris

**S. HILDEGARDIS VIRGINIS**

III classis

Ps. 72, 28

**M**ichi autem adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut annúntiem omnes prædicatíones tuas in portis filiæ Sion. Ps. 40, 13 Me autem propter innocéntiam suscepisti: et confirmásti me in conspéctu tuo in æténum. **y.** Glória Patri.

**Oratio P**

**D**eus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quaésumus; ut, eius vestígiis et documéntis insisténtes, a præséntis saéculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. Impressionis Ss. Stigmatum  
S. Francisci Conf.:

**Oratio**

**D**ómine Iesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amórís igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut eius méritis et prémibus crucem iúgiter ferámus, et dignos fructus poenitentiæ faciámus: Qui vivis.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios

**1 Cor. 1, 26-29**

**V**idete vocatiōnem vestram, fratres, quia non multi sapiēntes secúndum carnem, non multi potēntes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapiēntes: et infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu eius.

**Graduale Cantic. 3, 4 et 6, 2** Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. **¶** Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia. **¶** **Isai. 61, 10** Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Allelúia.

**In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Sap. 4, 1-3** O quam pulchra est casta generatio cum claritatē: immortális est enim memória illius, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. **¶** Cum præsens est, imitántur illam, et desiderant eam, cum se edúxerit. **¶** Et in perpétuum coronáta triúmphat, incuinquitórum certáminum praémia vincens.

**Tempore Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:**

Allelúia, allelúia. **¶** **Ps. 30, 22** Benedíctus Dóminus: quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta. Allelúia. **¶** **Prov. 4, 9** Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyla próteget te. Allelúia.

**¶** Sequéntia sancti Evangélii secún-dum Matthaéum **Matth. 25,1-13**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábola hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ, accipiēntes lámpades suas, exiérunt óbvia et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quínque prudéntes: sed quínque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviā ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguuntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, et clausa est iánua. Novís-sime vero véniant et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem nequé horam.

**Offertorium Ps. 41, 2 et 3** Quemádmo-dum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortē vivum.

**Secreta**

**P**

**S**anctæ Hildegárdis Vírginis tuæ festa recoléntes, preces offérimus et hóstias immolámus: præsta, quaésumus, Dómine; ut, cum præsídio temporáli, vitæ nobis praébeant increménta perpé-tuæ. Per Dóminum nostrum.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci  
Secreta**

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctí-fica: et, intercedénte beáto Fran-císco, ab omni nos culpárum labe purí-fica. Per Dóminum nostrum.

**Communio Philipp. 1, 20 et 21** Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est et mori lucrum.

**Postcommunio P**

**P**erpétuo, Dómine, favóre proséquere, quos réficsis divíno mystério: et quos imbuísti cælestibus institútis: eósdem, intercedénte beáta Hildegárde Vírgine tua, salutáribus comitáre solátiis. Per D.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci Postcommunio**

**D**eus, qui mira Crucis mystéria in beáto Francísco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis quaésumus; devotiónis suæ semper ex-empla sectári, et assídua eiúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum.

Feria IV ante Dominicam pænultimam post Pentecosten

**S. BERNWARDI**

Episcopi et Confessoris  
Patroni minus principalis Ecclesiae  
Cathedralis et Dioeceseos

**II classis**

**Missa** Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem se-quentem, et in Cathedrali dicitur Credo.

**Oratio P**

**E**xáudi, quaésumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Bernwárdi Confessóris tui atque Pontificis solem-

nité deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dó-minum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia saécula sæculórum. **R.** Amen.

**Secreta C**

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos Subíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio C**

**P**ræsta, quaésumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Bernwárdo Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potíora sumámus. Per Dómi-num nostrum.

**g Solemnitas externa celebratur Domini-na pænultima post Pentecosten. Una Missa, præter conventualem, dicitur de S. Bernwardo, dummodo alicubi Festum nobilius non occurrat, cum omnibus Commemorationibus ritui II classis congruentibus.**

Die 11 Novembris

**Pro Eichsfeldia**

**S. MARTINI**

Episcopi et Confessoris  
Patroni principalis loci  
I classis

**Missa** Státuit, ut in Proprio Sanctorum hac die. Omittitur Commemoratio S. Mennæ Mart., et dicitur Credo.

Die 16 Novembris

**S. WILLEHADI**

Episcopi et Confessoris

III classis

Missa Státuit, de Communi Confessoris  
Pontificis 1 loco, præter Orationem  
sequentem:

Oratio

P

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem venerabilem nobis in beati Willehádi Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte tribuísti: fidélium tuórum votis benígnus inténde; ut, eiúsdem intercessióne a cunctis reáribus absolúti, gáudia cósequi mereámur ætérrna. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia saécula sæculórum.

Et fit Com. S. Gertrudis Virg.

Secreta

C

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos ubíque lätíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Et fit Com. S. Gertrudis Virg.

Postcommunio

C

Præsta, quaésumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beato Willehádo Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Gertrudis Virg.

## INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Angelorum Custodum Solemnitas externa. Dom. I Septembbris	8*
Ansgarii Episc. et Conf. 3 Februarii	1*
Bennonis Episc. et Conf. 16 Iunii	7*
Bernwardi Episc. et Conf. Feria IV ante Dom. pænult. post Pentec	10*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf. 15 Marii	2*
Conradi a Parzham Conf. 21 Aprilis	3*
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis. 5 Maii	6*
Epiphani Episc. et Conf. 22 Ian	1*
Godehardi Episc. et Conf. Feria IV infra Hebd. IV post Oct. Pasch	4*
Hildegardis Virg. 17 Septembbris	8*
Ludgeri Episc. et Conf. 26 Martii	2*
Martini Epise. et Conf., Patroni princip. Eichsfeldiæ. 11 Nov	10*
Patrocinii B. M. V. 12 Maii	6*
Patronorum Ecclesiæ Cathedralis. 14 Maii	6*
Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct. 27 Aprilis	4*
Udalrici Episc. et Conf. 4 Iulii	8*
Willehadi Episc. et Conf. 16 Nov	11*

## APPENDIX

## MISSA INTEGRA

**DE SS. EPIPHANIO, ANSGARIO, GODEHARDO, BENNONE,  
UDALRICO, BERNWARDO ET WILLEHADO  
EPISCOPIS ET CONFESSORIBUS**

**Introitus** Ecc1i. 45, 30

**S**tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdóti dígnitas in ætérnum. (T.P. Allelúa, allelúa.) **Ps. 131, 1** Mémento, Dómine, David: et omnis man-suetúdinis eius. **¶** Glória Patri.

**Pro S. Epiphanio  
Oratio**

**D**a, quaésumus, omnípotens Deus: ut beáti Epiphánii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Ansgario  
Oratio**

**D**eus, qui multitudinem populórum beáti Ansgárii prædicatióne et miráculis evangélii luce dignátus es illustráre: concéde propítius; ut, cuius gloriámur exémplis et méritis, eius fulciámur et précibus. Per Dóminum.

**Pro S. Godehardo  
Oratio**

**D**eus, qui nos beáti Godehárdi Confessóris tui atque Pontíficis méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius; ut, qui tua per eum beneficia pósclimus, dono tute grátiæ consequámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia saécula sæculórum. **¶ Amen.**

**Pro S. Bennone  
Oratio**

**D**eus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis et eius imitatióne proficere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Udalrico  
Oratio**

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Bernwardo  
Oratio**

**E**xáudi, quaésumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Bernwárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méritu famulári, eius intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Willehado  
Oratio**

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem venerábilem nobis in beáti Willehádi Confessóris tui atque Pontíficis festivitaté tribuísti: fidélium tuórum votis benígnus inténde; ut, eiúsdem intercessióne a cunctis reáti bus absolúti, gáudia cósequi mereámur ætérrna. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ  
Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est iustus: et in témpore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo iureiurando fecit illum Dóminus crèscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput eius. Agnóvit eum in benedictiōnibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram oculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum aëtérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. **¶ Ibid., 20** Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in aëtérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

**Post Septuagesimam, omissis Allelúia et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3** Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. **¶** Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur. **¶** Glória et divítiae in domo eius: et iustitia eius manet in saéculum saéculi.

**Tempore autem Paschali omittitur Gradaule, et eius loco dicitur:**

Allelúia, allelúia. **¶ Ps. 109, 4** Tu es

sacérdos in aëtérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia. **¶** Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaéum  
**Matth. 25, 14-23**

**I**n illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábola hanc: Homo pégre proficíscens vocávit servos suos, et trá-didit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum própriam virtútem, et profectus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et, qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero téporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratióne cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus eius: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, alia duo lucrátus sum. Ait illi dóminus eius: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

**In Cathedrali pro S. Epiphanio, S. Go-dehardo et S. Bernwardo Credo.**

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. (T. P. Allelúia.)

### Secreta

**S**ancti tui, quaésumus, Dómine, nos subíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Communio Luc. 12, 42** Fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus

super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram. (T. P. Allelúia.)

### Postcommunio

**P**ræsta, quaésumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátiis exhibéntes, intercedénte beáto N. Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

### APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Hildesii, die 4 Iulii 1951

✠ IOSEPH GODEHARDUS  
episcopus Hildesiensis

### IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 3 Augusti 1951

vic. gen. abs.

F. BALDAUF can.